THOMAS CANTIMPRATENSIS

Entstehungsort unbestimmt, spätes 13. Jh. Seite 54v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35447
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

ad oculum. et hic solus inter omnes nervos corporis concavus est. Oculi in homine appropinquant sibi secundum magnitudinem ipsius plusquam in aliis animalibus. A duobus oculis aptis una videndi via utrique dirigitur, ne unus aliquid videat quod alter non videt. Visus secundum humorum maliciam que in vidente est inficiat subiectam materiam. Adeo ut si mulier menstruata continue speculum inspiciat, ipsum quasi quadam rubigine inficiat. Magna dubitatio obducit visum sicut morbus caducus, nec vident patentibus oculis. Tytus cesar solus naturam habuit quod in tenebris nocte cum vigilaret velut clara luce videbat. Sed non mora obducebantur tenebris oculi sicut in aliis solet fieri. Oculus se non videt. Habent et signa oculi moderationis et clementie, odii, misericordie, amoris, tristicie. Unde dicit Plinius quia in oculis animus habitat. Ex multis id est vii membranis constat oculus, cuius medium cornea fenestravit. Pupilla frigida apponenda sunt oculis non calida, quia calor dissolvit. In nobis adeo absoluta est vis speculi ut tam parva illa pupilla totam ymaginem reddat hominis. Post xxx annos multis restitutus est visus.

De palpebris

Palpebre ut dicit Aristotiles create sunt propter salutem oculi ut claudat oculum animal quando quiescere vult ut non cadat in ipsum extrinsecus aliquid. palpebre sibi sunt quasi sepes que prohibent introitum in oculum.

De auribus

Auris compositio est in homine a foramine tortuosum est intus et dicitur a philosophis porta mentis. Eius finis molle quid ad quem pervenit sonus omnis et ab ipso redditur ad cerebrum. Et non est via exitus a cerebro ad aurem. Omne animal habens aures habet eas mobiles preter hominem. In posteriori parte capitis instrumentum est auditus. Et non sine ratione quia pars illa plena est aere et non est caro neque cerebrum. Et dicimus quod instrumentum sensus auditus est aereum et bene ordinavit natura instrumenta sensuum que etiam sensum posuit auditus in medio capitis rotundi, quia auditus non solum audit recte circa se sed circumquaque. Et quidem sensus auditus et odoratus sunt in continue cum aere extrinseco, plene spiritu naturali, habentes transitum ad venas subtiles extensas a corde ad cerebrum.

De naso

Nasus instrumentum est odoratus sicut dicit Aristotiles. Per ipsum est anhelitus et via sternutationis. quando ventus multiplicatur in cerebro. Via continua est odoratus cum aere extrinseco. plena et spiritu naturali habente transitum ad venas subtiles extensas a corde ad cerebrum.

De barba

Barba in hominibus distinguit virilem sexum a femineo. Ex superfluitatibus nascitur